HT00823 5220

De turbata vetere quae a Lycurgo instituta erat Lacedaemoniorum aequalitate.

Publice scribendi ante hos sex annos vel oblata opportunitate vel per muneris rationem imposita mihi necessitate in interiorem Spartanorum rei publicae statum ac condicionem inquirere institueram. Quo tempore quamquam et ego ipse suspicabar, et mecum omnes, quibus patria curae cordique erat, facile intelligebant, multos et apud nos esse, qui alia commutatá et innovata, alia instaurata et emendata, alia denique novis praesidiis et adminiculis fulta vellent et confirmata, non tamen propterea futurum esse arbitrabar, ut nihil omnino in re publica sibi placere palam vociferarentur omniaque funditus evertenda esse clamarent qui subito in ipsa etiam civitatis sede atque domicilio exstiterunt novi Lycurgi, Solones, Servii. Dolebam equidem istos homines, qui soli sibi sapere viderentur scientiamque suam pro una vera venditantes quaecunque sancta et inviolata a patribus accepta ad hanc usque aetatem summa pietate ac religione tenuissemus, ea omnia abiicienda perpetuaque oblivione obruend aesse censerent. Multum sane aberat, ut sapientibus illis similes essent quos Plato in nobilissimo et a plurimis decantato loco solos bonos rerum publicarum conditores esse dicit, viros vere sapientes vel studiosos certe verae sapientiae, recti honestique amantes, ab omni fraude ac vanitate, a turpitudine et temeritate abhorrentes, iustos, temperantes, fortes atque prudentes. [1])

[1]) Quales viri quum praesunt civitatibus, tunc illud unum praestantissimum genus rei publicae exsistit, aristocratia veri nominis, qua ut nihil optabilius generi humano, ita nihil rarius aut difficilius est inventu. De hac aristocratia h. e. optimorum imperio et quantum distet ab ea vel nobilium vel divitum imperium, quae oligarchia aut plutocratia vel timocratia est, consule accuratam Luzaci expositionem in adnott. ad orat. de Socrate cive habitam et Lugd. Batav. a. 1796 editam p. 63—74. Hüllmann Staatsrecht des Alterth. p. 111. Goettling de Aristocratia veterum in Act. Acad. Ienens. I. p. 465. Schoemann Antiquitt. iur. publ. Gr. p. 60. Oligarchiae enim vim et potestatem apud veteres non tam in paucorum, quam in divitum dominatione positam fuisse sapienter monet Aristot. Polit. IV, 3, 6. *μᾶλλον τοίνυν λεκτέον ὅτι δῆμος μέν ἐστιν ὅταν οἱ ἐλεύθεροι κύριοι ὦσιν, ὀλιγαρχία δ' ὅταν οἱ πλούσιοι.* Cum quo comparandum est dictum Isocratis Areopag. 28, 70 *πρῶτον μὲν ἐμαυτόν ἐπιδεῖξαι βουλόμενος οὐκ ὀλιγαρχιῶν οὐδὲ πλεονεξιῶν, ἀλλὰ δικαίας καὶ κοσμίας πολιτείας.* Sed peiorem nullam rei publicae formam veteres politici iudicarunt quam democratiae licentiam, cf. Hüllmann l. l. pag. 107 sq., cuius pariter atque universae illius *δημοκολάκων* nationis egregiam Plato de Re publ. VI. p. 488 exhibet imaginem, eorumque artes ut *κολακείας μόριον, πολιτικῆς μορίου εἴδωλον* atque *ἀντίστροφον ὀψοποιίας ἐν ψυχῇ* Gorg. p. 463. D. sq. describit. Audiendus inprimis Cicero, qui Servium Tullium nova sua per classes distributione id potissimum egisse docet, ut *suffragia non in multitudinis, sed*

In his igitur tot tantisque omnium rerum conversionibus quum optimi quique maxime de re publica desperarent, iuvabat ex perpetuis controversiis adeoque seditionibus in sacra Musarum delubra refugere.[2]) In otio enim ac silentio quid sapientissimis omnium temporum viris de optima civitatum forma deque earum condendarum et instituendarum modo ac ratione placuerit explorare in eorumque splendidissima simulacra tamquam in speculum intueri summa est voluptas. Ita factum est, ut ad ea equidem, qualiacunque essent, quae sex abhinc annis literis consignassem, nunc data eadem scribendi occasione redire statuerem.

---

in locupletium potestate essent et curavisse, *quod semper in civitate tenendum, ne plurimum valerent plurimi.* Cic. de Re publ. II, 22. Contra regia potestas veteribus a Diis profecta visa: nam δῖοι sunt Homeri reges, διογενεῖς, διοτρεφεῖς, sed eorumdem auctoritas certis limitibus circumscribenda. V. Aristot. Politic. III, 10, 1 μία μὲν (βασιλεία) ἡ περὶ τοὺς ἡρωικοὺς χρόνους· αὕτη δ' ἦν ἑκόντων μὲν, ἐπί τισι δὲ ὡρισμένοις, et qui simile quid de Lacedaemoniorum regibus narrat Dionys. Halic. V, 74 καὶ μέχρι πολλοῦ διέμειναν ἐπὶ ῥητοῖς τισιν αἱ βασιλεῖαι διοικούμεναι, ὥςπερ ἡ Λακεδαιμονίων. Sed tantum aberat, ut reges quidquid animus ferret sua libidine et arbitrio gerere posse existimarentur, ut a divina sua origine degenerare dicerentur, si quid crudelius vel superbius facerent. Mala fama enim ab optimo quoque principe maxime extimescebatur, superbia autem alioquin optimo opprobrio habebatur. Quapropter Cicero pro Ligar. 14, 10 egregie *regium nomen semper in civitate sanctum fuisse* dicit, *sociorum vero regum et amicorum sanctissimum.* De pietate ac verecundia regiae maiestati in optima quaque re publica maxime debita aurea sunt Brüggemanni, clarissimi viri, in summo Borussorum senatu hoc ipso anno pronunciata et in Dieringeri Katholische Vierteljahrsschrift für Wissenschaft u. Kunst. Neue Folge. Jahrg. III. Heft 1. p. 147 literis repetita.

[2]) Quamquam ab omni publicorum negotiorum tractatione recedere et in turpi otio consenescere vix bono cive et liberalioris ingenii viro dignum esse videtur. Aristoteles quidem licet quaestionem Politic. VII, 2 propositam πότερος αἱρετώτερος βίος, ὁ διὰ τοῦ συμπολιτεύεσθαι καὶ κοινωνεῖν πόλεως, ἢ μᾶλλον ὁ ξενικὸς καὶ τῆς πολιτείας ἀπολελυμένος non solvat nec utrum vitae genus praestabilius sit accurate definiat, aliis tamen locis plurimis boni ac sapientis viri esse declarat quantum possit servire rei publicae eamque omni modo tueri atque conservare: nusquam enim ampliorem virtuti campum patere, in quo exerceri omnemque suam vim expromere possit. Magistri sententiam discipuli non omnes probant. Dicaearchi enim Cicero ad Att. II, 16 scribit magnam cum Theophrasto controversiam fuisse, quorum ille τὸν πρακτικὸν βίον longe omnibus anteponendum esse censeret, hic τὸν θεωρητικὸν multo praestantiorem esse contenderet, qui tamen et ipse multos de re publica libros composuit multarumque civitatum leges et instituta diligenter persequutus est. Nolo de Peripateticis et veteribus Academicis dicere, quae Cicero de Fin. IV, 2, 5. 22, 61. de Div. II, 1, 3 et Acad. II, 36, 15 laudat. Stoici denique teste eodem Cicerone de Fin. III, 20, 68 sapientem volebant rem publicam gerere et administrare. Nam quae Cicero scribit de Re publ. I, 5 verba praeclara quaeque ante duo fere milia annorum nostrae aetati scripta esse videntur, *iam illa perfugia, quae sumunt sibi ad excusationem, quo facilius otio perfruantur, certe minime sunt audienda, quum ita dicunt, accedere ad rem publicam plerumque homines nulla re bona dignos, cum quibus comparari sordidum, confligere autem, multitudine praesertim incitata, miserum et periculosum sit. Quam ob rem neque sapientis esse accipere habenas, quum insanos atque indomitos impetus vulgi cohibere non possit, neque liberalis cum impuris atque immanibus adversariis decertantem vel contumeliarum verbera subire vel exspectare sapienti non ferendas iniurias: proinde quasi bonis et fortibus et magno animo praeditis ulla sit ad rem publicam adeundi causa iustior quam ne pareant improbis, neve ab iisdem lacerari rem publicam patiantur, quum ipsi auxilium ferre, si cupiant, non queant,* ea ex Stoicorum fontibus fluxisse apparet. Septem autem viros illos, qui prae caeteris per universam Graeciam sapientiae laude inclaruerunt, constat omnes praeter Thalem Milesium civitatibus praefuisse et aut legibus latis aut rebus publicis administratis bene de suis meritos esse. Vide Diog. Laert. I, 40. Aelian. Var. Hist. III, 17. De Socratis, qui quidem ipse fidelem rei publicae operam praestitit, discipulis Aristippus dicebat fugiendam, Antisthenes capessendam esse rem publicam sapienti. Cf. Augustin. de Civ. Dei XVIII, 41. De Pythagora nota sunt omnia. Quare perperam Cicero eum de Orat. III, 15, 56 Democrito et Anaxagorae adnumerat, qui totos se a re publica ad otiosam rerum cognitionem transtulerunt.

Multi et hodie sunt et olim fuerunt qui quum omnem Lycurgi in condenda et instituenda re publica prudentiam admirarentur, tum illud inprimis se non satis mirari posse dicerent, qui fieri potuerit, ut haec eadem, postquam unius viri auctoritate exstructa esset, tot saecula certa staret et immota. Qui quum omnia a Lycurgo bene sapienterque instituta viderent, tum civium illam aequalitatem, cui tamquam firmissimo fundamento rem publicam suam superstruxisset, quam tamen iidem callidius excogitatam quam ad ullam immortalitatis spem subtilius inventam esse suspicarentur, numquam se satis posse exornare verbis putabant. Quemadmodum autem humana omnia, utpote natura sua caduca et fragilia eaque de causa mox peritura, morti destinata sunt et ad interitum vergunt, ita hae quoque Lycurgi leges et instituta tantum abest, ut mirum sit, quod tandem aliquando antiquata sunt et funditus eversa, ut id magis mirari debeamus, non quod omnino lapsa est et cecidit, sed quod tot saecula firma et inconcussa stetit Spartanorum res publica.[3])

De turbata autem praecipue Spartanorum aequalitate qui subtilius disserere instituunt, ii accuratius exquirere debebunt et explorare, qualis fuerit, dum integra stetit et immota. Id autem a peculiari indole ac natura Spartanorum repetendum est. Longe enim alia atque reliquarum omnium Doricae gentis ratio fuit, quippe quae quum a primis fere initiis multoque ante Peloponnesum expugnatam variis fortunae tempestatibus iactata aliam ex alia patriam quaerere cogeretur,[4]) ad eam inaequalitatis formam, quam in certis diuturnisque sedibus natura quasi iubente oriri paullatimque crescere et firmari videmus, pervenire omnino non potuit. Neque expugnata Peloponneso res aliter comparata fuit. Quos enim agros omnes pari virtute et fortitudine occupaverant quosque armis partos armis tueri debebant, eos aequum erat aequo iure inter omnes distribui. Sic demum spes erat fore, ut peregrini victores, quum universi contra universos starent, agros vi captos vi retinerent,

---

[3]) Verum quo minus antiquitatis instituta omnia caeco quodam studio persequamur neque quidquam prae illis prudenter sapienterque a nostris hominibus fieri dicamus prohibet, ut ea utar, Helvetiorum historia et simplicissima quae Helveticarum gentium est rei publicae forma. Nimirum quanto simplicior est cuiusque rei publicae gubernandae et administrandae ratio quantoque minor civium numerus, tanto tutiora sunt omnia ab ambitiosorum hominum regnandique cupidorum furore tantoque maior est diuturnitatis spes et constantiae. Quo nomine dignus est qui legatur etsi recens scriptor I. G. Kohlius in libro ab ipso edito et *Alpenreisen* inscripto Vol. I. p. 316. *Es ist ein höchst merkwürdiges und von den schweizerischen Geschichtschreibern nicht genug hervorgehobenes Factum, dass diese Urkantone mit der scheinbar gefährlichsten und wandelbarsten Verfassung von der Welt, der zufolge nicht nur alljährlich alle Beamte ihre ganze Gewalt in den Schooss des Volkes zurücklegen, sondern auch alle alten und neuen Gesetze, alle alten Gewohnheiten und Alles, was durch die Gewalten des Landes je durch das Mehr entschieden ist, für einen Augenblick suspendirt werden, indem alle diese Dinge bei jeder Landsgemeinde dem Volke zur Bestätigung vorgelegt werden, sich doch unveränderlich seit mindestens 500 Jahren immer unabhängig und auch immer bei derselben unwandelbaren Verfassung erhalten haben. Wie wechselnd und schwankend zeigten sich nicht die italienischen und griechischen Demokratien. Wie oft ergriff ein Volkstribun oder Tyrann die Zügel. Wie häufig war der Wechsel zwischen Demokratie und Aristokratie, und Anarchie und Ochlokratie, und Oligarchie und Despotie. Diesen lieben getreuen schweizerischen Landleuten wird alle Jahr so zu sagen das ganze Staatsgebäude zu Füssen gelegt, und fünfhundertmal haben sie, indem sie sich und den Gewohnheiten ihrer Väter auf eine seltene Weise treu geblieben, dasselbe wieder auf das alte Postament gestellt.* Quid quod alia multa veteres Spartani cum nostris Helvetiis, qui quidem antiquam illam et mediam Helvetiam incolunt, communia habent. Ut enim apud Spartanos optimi quique et fortissimi viri acclamatione civium in senatum legebantur, ita nunc quoque agrestes illi homines altis clamoribus: *Jo, jo, den weimer! den weimer! hunc volumus, hunc consulem esse iubemus!* suos sibi praeficiunt magistratus. Vide eund. Kohlium l. l. p. 89.

[4]) Gens ab Herodoto I, 56 ea de causa ἔθνος πολυπλάνητον κάρτα appellata.

nec aliquando ex eorum possessione eiicerentur. [5]) Quod periculum quum iam multo ante Lycurgi tempora immineret, aequalem agrorum distributionem non inventam a Lycurgo esse facile intelligimus, sed quae sua sponte nulla hominum prudentia nata esset, nova demum religione firmatam et sancitam. Quae enim vel leviter intuentibus inter antiquissimarum Graeciae civitatum vel postquam ad certam rerum publicarum formam pervenissent indolem et naturam atque heroicae aetatis mores et instituta intercessisse videtur necessitudo, ab ea Dores omnium ultimi discesserunt, quippe qui diu multumque per terras, per maria agitati ita duro parcoque victui adsueverant, ita famem sitimque tolerare omniaque laborum genera ferre, ita in armis castrisque vivere didicerant, ut quum tandem aliquando terram promissam occupassent, bellicam disciplinam diuturna exercitatione corroboratam severitatemque militiae recordantes in media pace, in urbibus suis et agris tamquam in castris et castellis ita vivere mallent, ut ne una quidem coenandi consuetudinem deponerent. [6]) In tanta autem, quanta antiquissimis temporibus fuit, vitae victusque simplicitate, ubi statim post terram expugnatam victoribus omnibus tum agris opus fuit unde victum sumerent, tum hominibus quorum opera agros illos ararent, quum neque fortior quisquam maiorem partem de communibus bonis efflagitaret, neque inertior a debita parte excluderetur, fieri non potuit, ut praeda omnium virtute parta non aequaliter inter omnes distribueretur. Cuius distributionis arbitrum Lycurgum exspectare longum fuit. Firmavisse igitur ille iudicandus est ac sanxisse priscam terrae Laconicae inter stirpes et familias partitionem singulorumque agrorum descriptionem. [7]) Etenim si qua diversitas iam ante Lycurgum fuit, cui ille suis legibus medendum esse censebat, ea non admodum magna nec consilio instituta, sed casu nata esse videtur, nullo modo tanta, ut seditiones inde civilesque discordiae metuendae essent. Nam non minus eorm error redarguendus est qui Lycurgum nihil aliud quam priscos mores instaurasse, quam eorum qui eum omnia ex ingenio instituisse credunt. Quid quod Spartani a Platone disertis verbis laudantur felicesque prae aliis praedicantur, qui non externa aliqua necessitate coacti, ut aut aere alieno se solverent aut seditiones inde natas novis quibusdam et inauditis largitionibus sedarent, omnium agros aequales esse voluissent, sed qui hanc aequalitatem a maioribus acceptam strenue retinuissent. [8])

---

[5]) Similis Dorum illorum antiquorum ratio fuit atque eorum qui duobus tribusve saeculis ante nostram memoriam ex Europa profugi novam patriam novasque rerum suarum sedes ultra Oceanum quaerebant. Ii enim omnis quae olim inter ipsos esse potuit diversitatis, veluti nobilitatis, auctoritatis, divitiarum, obliti omnesque pares inter se facti, veteribus tamen incolis a se oppressis vel ex maiorum suorum sedibus pulsis nobiliores esse sibi videbantur. Exstitit igitur in novo orbe terrarum non singulorum hominum aut gentium, sed universae nationis atque pro illorum hominum indole et natura nova quaedam quasi coloris nobilitas.

[6]) Quo nomine Archidamus suos laudat: ἐκεῖνο δ' οὖν πᾶσι φανερόν, ὅτι τῶν Ἑλλήνων διενηνόχαμεν οὐ τῷ μεγέθει τῆς πόλεως οὐδὲ τῷ πλήθει τῶν ἀνθρώπων, ἀλλ' ὅτι τὴν πολιτείαν ὁμοίαν κατεστησάμεθα στρατοπέδῳ καλῶς διοικουμένῳ καὶ πειθαρχεῖν ἐθέλοντι τοῖς ἄρχουσιν. Isocr. Archid. 81. Similiter, addita rei ratione, Xenoph. de Re publ. Laced. 5, 2 Λυκοῦργος τοίνυν παραλαβὼν τοὺς Σπαρτιάτας οἴκοι σκηνοῦντας, γνοὺς ἐν τούτοις πλεῖστα ῥᾳδιουργεῖσθαι εἰς τὸ φανερὸν ἐξήγαγε τὰ συσκήνια, οὕτως ἡγούμενος ἥκιστ' ἂν παραβαίνεσθαι τὰ προςταττόμενα. Sunt enim Xenophontis συσκήνια aliorum συσσίτια, similiter ut l. l. 7, 4 σύσκηνοι pro συσσίτοις; σκηνεῖν pro epulari est apud Xenoph. Anab. IV, 5, 33. V, 3, 9. Cf. Plat. de Re publ. III. p. 416. E. φοιτῶντας δὲ εἰς ξυσσίτια, ὥςπερ ἐστρατοπεδευμένους, κοινῇ ζῆν.

[7]) Quae est Ch. G. Heynii sententia De Spartanor. re publ. et institut. in Comm. Societ. Gotting. T. IX. p. 13.

[8]) Plat. Legg. III. p. 684. D. οὐκ ἦν τοῖς νομοθέταις ἡ μεγίστη τῶν μέμψεων ἰσότητα αὐτοῖς τινα κατασκευάζουσι τῆς οὐσίας, ἥπερ ἐν ἄλλαις νομοθετουμέναις πόλεσι πολλαῖς γίγνεται, ἐάν τις ζητῇ γῆς τε κτῆσιν κινεῖν καὶ χρεῶν διάλυσιν — τοῖς δὲ δὴ Δωριεῦσι καὶ τοῦθ' οὕτως ὑπῆρχε καλῶς καὶ ἀνεμεσήτως, γῆν τε ἀναμφισβητήτως διανέμεσθαι, καὶ χρέα μεγάλα καὶ παλαιὰ οὐκ ἦν. Ad quem accedit Polybii auctoritas VI, 45, 3 τῆς μὲν δὴ

Quod igitur ab omnibus Doribus qui Peloponnesum armis ceperant institutum erat, id quum in reliquis eorum civitatibus exolevisset, Spartae tamen Lycurgi beneficio servatum est. Hanc vero aequalitatem si quis ita cogitatione sibi effingeret, ut singula agrorum spatia singulis paria fuisse nec in iis describendis praeter decempedas et perticas ulla re opus fuisse exsistimaret, is, quum alii agri non possent non esse fertiliores alii steriliores, Lycurgum in summa aequalitate summam inaequalitatem statuisse diceret.[9]) Facile igitur apparet, si vel maxime Lacedaemonii artis agrimensoriae periti fuissent, id quod valde dubitamus, non spatia agrorum et formas aequales fuisse, sed redituum ex iis percipiendorum modos.[10]) Neque si numerum spectas plures illi agri erant, quam quos rudis veterum ars nulla exquisita mathematicorum scientia in auxilium vocata describere posset.[11]) Non facile enim quisquam totum triginta novem milium agrorum numerum impletum fuisse dixerit, magna Laconiae parte, qua postea Spartani potiti sunt, nondum expugnata.[12]) Et ne hanc quidem possessionum aequalitatem satis magnum suae rei publicae firmamentum esse arbitratus Lycurgus,

---

Λακεδαιμονίων πολιτείας ἴδιον εἶναί φασι πρῶτον μὲν τὰ περὶ τὰς ἐγγαίους κτήσεις, ὧν οὐδενὶ μέτεστι πλεῖον, ἀλλὰ πάντας τοὺς πολίτας ἴσον ἔχειν δεῖ τῆς πολιτικῆς χώρας, modo ne quis τὴν πολιτικὴν χώραν publicum aliquem agrum, qualis apud Romanos fuerit, fuisse credat.

[9]) Eadem de causa perioecorum sortes Spartanorum agris non aequales fuisse consentaneum est. Nam victores optimam et maximam partem agrorum sibi sumpsisse, minus felices victis reliquisse putandi sunt, quandoquidem Spartanorum sortes ob id ipsum maiores esse debebant, quod tot Helotarum capita praeter Spartanos ex iis vitam sustentabant. Cf. C. F. Hermanni Antiquit. Lac. lib. IV. p. 174. Accedit quod hoc quoque agrorum situ et modo perioeci ita a Spartanis diversi erant, ut numquam eos quamvis plurimi numero aut opulentia aequare vel inter se conspirare possent, sed eius semper iuris memores essent, quo Spartani domini eorum facti essent. Isocr. Panath. §. 179 ταῦτα δὲ πράξαντας τῆς χώρας αὐτοὺς μὲν λαβεῖν ὀλίγους ὄντας -οὐ μόνον τὴν ἀρίστην, ἀλλὰ καὶ τοσαύτην ὅσην οὐδένες τῶν Ἑλλήνων ἔχουσι, τῷ δὲ πλήθει τηλικοῦτον ἀπονεῖμαι μέρος τῆς χειρίστης, ὥστ' ἐπιπόνως ἐργαζομένους μόλις ἔχειν τὸ καθ' ἡμέραν.

[10]) Idem Plato quoque Legg. V. p. 745. C. fieri voluit: ἴσα δὲ δεῖ γίγνεσθαι τὰ δώδεκα μέρη τῷ τὰ μὲν ἀγαθῆς γῆς εἶναι σμικρά, τὰ δὲ χείρονος μείζω.

[11]) Spartani enim qui Laconiam expugnabant amplius duo milia non fuisse dicuntur. Isocr. Panath. §. 255. ἐπειδὴ δὲ πρὸς Ἀργείους καὶ Μεσσηνίους τὴν χώραν διείλοντο καὶ καθ' αὑτοὺς ἐν Σπάρτῃ κατῴκησαν, ἐν τούτοις τοῖς καιροῖς τοσοῦτον φρονῆσαι φῆς αὐτούς, ὥστε ὄντας οὐ πλείους τότε δισχιλίων οὐχ ἡγήσασθαι σφᾶς αὐτοὺς ἀξίους εἶναι ζῆν, εἰ μὴ δεσπόται πασῶν τῶν ἐν Πελοποννήσῳ πόλεων γενέσθαι δυνηθεῖεν.

[12]) Inprimis ab eorum imprudentia cavendum est, qui aut nimio omnium rerum explicandarum studio aut vana subtilioris doctrinae ostentandae cupiditate ducti nihil recens inventum aut semel factum esse sibi persuadent, sed omnia ad praeteritarum rerum memoriam vel imitationem quandam instituta esse suspicantur. In quorum numerum referendus est Kortumius, vir alioquin ingeniosus et in universa antiquitate quummaxime versatus, qui in peculiari libello *Wesen und Schicksal der dorisch - lakonischen Ackergesetzgebung* a se conscripto et in Schlosseri et Berchtii Archiv für Geschichte und Literatur Tom. IV. p. 133—180 typis excuso, verbis praecipue Isocratis Archidam. §. 20 στρατόπεδον συστησάμενοι τὴν μὲν ἰδίαν χώραν εἰς τὸ κοινὸν τοῖς συνακολουθήσασιν ἔδοσαν, τὴν δὲ βασιλείαν ἐξαίρετον αὐτοὶ παρ' ἐκείνων ἔλαβον, ἐπὶ δὲ τούτοις πίστεις ἀλλήλοις δόντες ἐποιοῦντο τὴν στρατείαν inductus Laconicae terrae occupationem totamque illam agrorum distributionem cum expugnatione Galliae a Germanis facta cum eorumque comitatu exercitusque conscriptione comparat: *Die Dorier eroberten den Peloponnes durch Verbindung des Heerbannes mit den Gefolgschaften, bleibt für die Erklärung der agrarischen Ordnungen der leitende Gesichtspunkt.* l. l. p. 134. Perniciosi illius studii a C. F. Hermanno in Antiquitt. Lac. p. 165 improbati alia in eiusdem doctissimi viri Historia Romanorum Heidelb. 1843 documenta inveniuntur, in qua non pauca populi Romani instituta cum Helvetiorum moribus, quos quidem usu edoctus optime cognitos habet et perspectos, vel non data opera modo felicius modo infelicius componuntur.

inventor ille legum optimarum et aequissimi iuris,[13]) hominum quoque novas distributiones nullo alio consilio fecisse videtur, quam ut cives, quum omni vetere societate soluta nullo vinculo coniuncti essent, nisi quod Spartanos se omnes eiusdemque rei publicae, ut communis ipsorum matris, filios esse meminissent, antiquarum gentium et tribuum recordatione pristini discriminis memoriam ne propagarent.[14]) Atque ita potissimum factum est, ut civitatem, quam ferventem et fere exaestuantem (φλεγμαίνουσαν Plat. de Re publ. p. 372 E.) invenisset, sanam relinqueret et bene temperatam.

Sed multo longius quam pro angustis limitibus qui scholasticae huic scriptioni constituti sunt a consilio meo me abripi passus sum. Non enim condere volebam cum Lycurgo et exstruere Spartanorum rem publicam, verum quomodo a pristino suo robore et firmitate sensim in deterius mutata sit accuratius enarrare. Cuius mutationis signa et indicia ex omni Graecorum historia undecunque conquirenda sunt. Vehementer enim dolemus eam casu nescio an necessitate quadam communem omnium populorum fortunam fuisse, ut eorum praecipue temporum, quibus illi aut rerum gestarum gloria aut civilium institutorum laude florebant, memoriam a plurimis scriptoribus literis consignatam teneamus, illius autem aetatis, qua paullatim a maiorum amplitudine desciscere coeperunt, vix ullus inveniatur locupletior testis. At vero qui non unam alteramve periodum accuratius desribere, sed iustam et plenam gentis historiam concinnare aggrediuntur videre debent, ne unam aetatem prae altera negligant parvique habeant. Pari enim gressu narrationem cum ipsis rebus procedere oportet, ne quid maiore vel temeritate praeripiatur, vel cupididate exornetur, vel denique levitate praetermittatur. Accedit tristissimus eorum error, qui quum de bellis et pacibus, de dissensionibus civium et secessionibus, de morbis vel aliis publicis privatisve calamitatibus accuratius disserere instituunt, in interiorem rerum hominumque naturam et condicionem inquirere et quae vera ac propria cuiusque aetatis agendi sentiendique ratio fuerit diligentius explorare praetermittunt: unde dici vix potest quantum subtilior rerum cognitio detrimenti ceperit.[15]) Quam tristissimam fortunam quum antiquissimam Spartanorum historiam in summam literarum calamitatem maxime expertam esse doleamus, plurima eorum, unde aliqua in his tenebris lux oboriri possit, ex desertis superiorum temporum spatiis conquirere, quaeque solvendae huic quaestioni nostrae idonea esse videantur magis coniectura et divinatione assequi, quam certa rerum fide firmare debemus.

Quae quum ita sint, ut inde exordiar unde prima disputationis nostrae argumenta repetenda sunt, Lycurgus ipse opus suum non ita perfecisse existimandus est, ut vulgo creditur. Quae omnibus temporibus humanarum rerum ratio fuit, ut nihil tam certum tamque firmum sit, numquam ut fluctuet et aut rerum mobilitate et fragilitate aut levitate hominum huc illuc trahatur, ea apud Spartanos disciplinae severitate coerceri quidem potuit et contineri, opprimi penitusque exstingui non potuit.

---

[13]) Sunt verba Ciceronis de Re publ. III, 6 (9), qui eundem Lycurgum Tusc. Disp. V, 3, 7 septem illis, qui a Graecis σοφοὶ habebantur, adnumerat.

[14]) Hanc novam civium distributionem pariter atque senatorum institutionem Herodot. I, 65 a Lycurgo repetit, idemque Clisthenis Atheniensis cives per decem tribus ex quattuor veteribus describentis consilium fuisse constat. Herodot. V, 66—69. Aristot. Polit. VI, 2, 11. K. F. Hermann Staatsalterthümer §. 111. in.

[15]) Ne quid de eorum levitate dicam, qui nominibus non mutatis res quoque non mutatas esse existiment: veluti si quis propterea quod sanctissimi Atheniensium senatus appellatio eadem semper fuit, semper eandem illius et potestatem et dignitatem fuisse dicat. Iam vero qualis fuit ille Areopagus a Solone institutus aut nova auctoritate instructus, qualis idem ille a Pericle pristina sua dignitate spoliatus? Semper fuerunt Romanorum equites. At quis nescit mirum quantum interfuisse inter veteres equites qui inde a primordiis rei publicae stipendia facerent bellaque gererent atque eos qui post Gracchorum seditiones vectigalia exercerent mercaturamque factitarent?

Nulla lex Lacedaemonios prohibuit, quominus quaecunque sibi placerent vel ab exteris nationibus eodem modo, quo Lycurgum Homerica carmina secum attulisse fama est, in suam civitatem inferrent, modo ne omnino civitatis fundamenta evertere aut a Doricae nationis ingenio prorsus abhorrere viderentur.[16]) Nam quod Lycurgus peregre proficiscens Lacedaemonios suos pariter atque Solo Athenienses iure iurando obligasse fertur, ne quid de placitis suis se absente mutarent, ideoque exsulem diem supremum obisse,[17]) id si vere factum est, ad scriptas leges, non ad ea instituta pertinere videtur, quae nulla literarum fide adhibita memoriae ope servabantur. Potuit igitur salva et incolumi re publica fieri, ut nova in civitatem reciperentur: unde tantum aberat ut quid detrimenti res Lacedaemoniorum caperet, ut tum demum labi et in peius declinare coepisset, quum ab illa via deflecteretur.

Haec autem Lycurgeae civitatis immutatio non subito exstitit per vim aliquam et seditionem, sed sensim orta est, ut eam non citius factam esse diceres, quam futuram esse suspicareris: diu et ex longinquo imminebat, perinde ut corpora alioquin firma et robusta non semper repentino morbo corripiuntur, sed lente serpens venenum in viscera et medullam suscipiunt.[18]) Cui veneno quum leges Lycurgeae diu obstitissent, tandem aliquando ipsae suae perneciei causae fuisse videntur, quippe quae quod suapte natura varium et mobile multisque vicissitudinibus subiectum erat adamantinis quasi vinculis iisque perpetuis adstringi iuberent.[19]) Quo factum est, ut, salva tamen universa rei publicae Laconicae forma, prima eius conversionis initia iam a Xenophontis aetate nostro iure repetere nobis videamur. Ex eo enim tempore, quo Lacedaemonii sub finem belli Peloponnesiaci

---

[16]) Summam hanc Doricae gentis constantiam cum insigni ingeniorum incremento tam diu impune coniungi potuisse, quam ingenuus vigor mansit, Chilonis exemplum docet, qui quum maxime philosophiae laude inclaruerit ideoque septem sapientissimis viris Graecorum adnumeratus sit, aut primus regibus ephoros adiunxisse aut certe primum locum inter ephoros obtinuisse perhibetur. Diog. Laert. I, 68 γέγονε δὲ ἔφορος κατὰ τὴν πεντηκοστὴν πέμπτην Ὀλυμπιάδα· Παμφίλη δέ φησι κατὰ τὴν ἕκτην, καὶ πρῶτον ἔφορον γενέσθαι ἐπὶ Εὐθυδήμου, ὥς φησι Σωσικράτης· καὶ πρῶτος εἰςηγήσατο ἐφόρους τοῖς βασιλεῦσι παραζευγνύναι, Σάτυρος δὲ Λυκοῦργον. Cf. Manso Sparta T. III. P. 2. p. 332. Quid quod iudicium, quo de nobilissima quaestione εἰ δεῖ βοηθεῖν τῷ φίλῳ παρὰ τὸ δίκαιον καὶ μέχρι πόσου καὶ ποῖα (Gell. Noct. Att. I, 3) decrevit, in ephoratu habuisse fertur. Egit nuper de Chilone eiusque meritis Henr. Wiskemann in peculiari libro De Lacedaemoniorum philosophia et philosophis. Hersfeld. 1840.

[17]) Ephorus apud Aelian. Var. Hist. XIII, 22 inedia eum vitam finivisse narrat. De exsilio praeter Ephorum et Valer. Max. V, 3, 2 nemo dicit: modo Cirrhae, modo Elide, modo in Creta mortuus esse fertur. Verba Heraclidis Pont. Polit. 2. Λυκοῦργος ἐν Σάμῳ ἐτελεύτησε, quae ita scripta esse multis de causis miramur, C. F. Hermann in Museo Rhen. 1843. p. 600 sq. in haec Λυκοῦργος ἐν Σάμῳ ἐπεδήμησε optime mutavit.

[18]) Memorabile et nostris temporibus dignum quod legatur regis Agidis responsum de aequalium suorum querelis iam patris sui aetate auditis prodit Plut. Apophthegm. Lac. T. VIII. p. 194. ed. Hutt. φήσαντος δέ τινος τῶν πρεσβυτέρων πρὸς αὐτὸν γεραιὸν ὄντα, ἐπειδὴ τὰ ἀρχαῖα νόμιμα ἐκλυόμενα ἑώρα, ἄλλα δὲ παρειςδυόμενα μοχθηρά, διότι τὰ ἄνω κάτω γίγνεται ἐν τῇ Σπάρτῃ, παίζων εἶπε· κατὰ λόγον οὕτω προβαίνει τὰ πράγματα, εἰ τοῦτο γίγνεται· καὶ γὰρ ἐγὼ παῖς ὢν ἤκουον παρὰ τοῦ πατρός, ὅτι τὰ ἄνω κάτω γέγονε παρ' αὐτοῖς, ἔφη δὲ καὶ τὸν πατέρα αὐτῷ παιδὶ ὄντι τοῦτο εἰρηκέναι.

[19]) Quare quum huius immutationis paullatim factae alii regum duplicitatem (δίδυμον τὴν τῶν βασιλέων γένεσιν Plat. Legg. p. 691. D.) summique imperii inde natam imbecillitatem, alii impotentiam plebis victoria superbientis, alii denique varia incolarum genera Doribus admixta accusant, ii omnes multa, nec tamen omnia recte viderunt. Cf. Manso Sparta T. I. p. 66 sq. Plass Vor- und Urgeschichte von Griechenland T. II. p. 86. Lachmann Die spartan. Staatsverfassung p. 145 sq. Arnold on the Spartan Constitution in Mus. philol. Cantabrig. T. II. p. 43.

maris imperio potiti erant, ab antiqua illa rei publicae integritate paullatim desciverunt[20]) et a vetere morum severitate degenerarunt. Ex illa enim aetate partium studiis ita agitabantur, ut verae patriae utilitatis immemores nec sibi ipsis nec priscae rei publicae descriptioni constarent. Nam quo iure ii unice patriam amare dicuntur, qui in duo hostilia castra distracti non quidem arma sibi inferunt, quorum tamen alii nihil volunt nisi otium cum dignitate, pacemque quibuscunque bellis praeferendum esse censent, alii contra novarum rerum cupidi novam semper bellandi materiam arripiunt et subiecta Graecia non contenti avaritiae et ambitionis explendae causa bella ultra patriae fines propagare student?[21])

Sed vel ante hanc qualemcunque rerum conversionem morumque depravationem, qua recentiores Spartani ad aliquam cum reliquis Graecis similitudinem degenerare coeperunt, nobilissima lege Epitadei, de qua infra disputabimus, nondum lata, recte quaeritur, quomodo Lycurgus aequalem suam inter omnes distributionem ab ea confusione tuitus sit, quae vacuefacto aliquo patrimonio, si quis paterfamilias aut nullis liberis aut feminis tantum relictis decessisset, omnia quae sapientissime ab eo inventa essent funditus everteret.[22]) Quae enim vulgo et a plurimis excogitata sunt huius rei remedia, ut agri possessoribus vacui aut ab ipsis rei publicae principibus, veluti regibus, iis darentur, qui quum natu minores essent agris carerent, aut ut ipsi agrorum possessores, si filios non haberent qui suo iure ipsis succederent, heredes non scriberent nisi qui in nullam futurae hereditatis spem educati essent, aut ut filias his agris dotatas collocarent viris, quibus nulli agri contigissent, ea vereor ne ad qualemcunque nostrae aetatis imitationem callidius inventa videantur: nam a puris limpidisque fontibus ea derivata esse vix quisquam dixerit.[23]) Quamquam

---

[20]) Veterem rei publicae formam septingentorum annorum spatio nullis neque periculis neque calamitatibus consussam esse Isocr. de Pace §. 95 confirmat: *τὴν γὰρ πολιτείαν ἣν ἐν ἑπτακοσίοις ἔτεσιν οὐδεὶς οἶδεν οὔθ' ὑπὸ κινδύνων οὔθ' ὑπὸ συμφορῶν κινηθεῖσαν, ταύτην ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ σαλεῦσαι καὶ λυθῆναι παρὰ μικρὸν ἐποίησεν*, qui numerum summatim comprehendens annos ab Heraclidarum reditu ad pugnam quae Leuctris accidit numerat. Clinton. Fast. Hell. T. II. p. V. Sic non adversatur Thucydides I, 18, qui contempta oratoria Isocratis magniloquentia *ἡ γὰρ Λακεδαίμων*, inquit, *μετὰ τὴν κτίσιν τῶν νῦν ἐνοικούντων αὐτὴν Δωριέων ἐπὶ πλεῖστον ὧν ἴσμεν χρόνον στασιάσασα, ὅμως ἐκ παλαιτάτου καὶ εὐνομήθη καὶ ἀεὶ ἀτυράννευτος ἦν· ἔτη γάρ ἐστι μάλιστα τετρακόσια καὶ ὀλίγῳ πλείω ἐς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολέμου, ἀφ' οὗ Λακεδαιμόνιοι τῇ αὐτῇ πολιτείᾳ χρῶνται*, quamquam Aristot. Polit. V, 10—13 Charilai regnum tyrannidem appellat. Ducentos annos numquam turbatae pacis ac tranquillitatis ab altero bello Messenio usque ad bella Persica fuisse dicit Hermann l. l. p. 88. Quam ipsam earundem legum pie casteque servatarum civitatisque formae tam diu retentae diuturnitatem optimum, ut denuo eo revertamur unde oratio nostra toties profecta est, argumentum esse putamus nihil a Lycurgo aut novi inventum esse aut quod ab eorum hominum, quales tunc erant, indole et natura prorsus alienum esset.

[21]) Vide illius rei locupletissimum testem Xenophontem de Re publ. Lac. 14, 2 *οἶδα γὰρ πρότερον μὲν Λακεδαιμονίους αἱρουμένους οἴκοι τὰ μέτρια ἔχοντας ἀλλήλοις συνεῖναι μᾶλλον ἢ ἁρμόζοντας ἐν ταῖς πόλεσι καὶ κολακευομένους διαφθείρεσθαι — νῦν δ' ἐπίσταμαι τοὺς δοκοῦντας πρώτους εἶναι ἐσπουδακότας ὡς μηδέποτε παύωνται ἁρμόζοντες ἐπὶ ξένης*. Multum tamen abest, ut propter hanc studiorum diversitatem, quemadmodum in nostris hodie civitatibus, ita Lacedaemone quoque duas factiones adversarias fuisse dicamus, alteram antiqua quaevis probantium, alteram novas res appetentium. Neque magis audiendum esse censeo virum alioquin doctum, Chr. Heineckium, qui in libro suo *Homer u. Lykurg oder das Alter der Iliade* inscripto et Lipsiae 1833 edito p. 88 dicit: *das Königthum war lange auf zwei Individuen übergegangen; es stand sich ein aristokratischer und ein demokratischer König entgegen*; quod unde duxerit prorsus ignoro.

[22]) Quae quaestio iam multo ante novissima huius difficultatis expediendae pericula mota et agitata est ab Heynio l. l. T. IX. p. 14.

[23]) Atque hoc quoque loco non possumus non vel doctissimos viros eiusdem erroris nimiique, quo veterum mores et instituta ex nostris legibus et consuetudinibus explicare conantur, studii coarguere. Ut enim maxime illam

negari non potest, quo propius ad solvendam hanc quaestionem accedamus, eo maiores occurrere difficultates. Divendere quidem agros vel dono dare non licebat: [24]) licebatne singulas sortes ad plures filios eiusdem patris transferre vel binos agros coniungere, ut aut divisione fundorum permissa minuerentur, aut accessione facta augerentur; atque si non agros ipsos, sed fructus tamen ex iis perceptos dividi potuisse dicimus, qui tandem fieri potuit ut crescente familia id quod paucis satis esset plurimorum necessitatibus suppeteret; quid denique factum si tempestate aliqua vel inundatione vel belli casibus in civitatem irruentibus reditus subito imminuerentur? In tot tantisque difficultatibus quum alii alias impeditae quaestionis solvendae rationes invenerint easque omnes longum sit persequi, ad veterum scriptorum auctoritatem redire utilius videtur.[25])

At unum tantum quod quidem memoratu dignum videatur exstat testimonium Plutarchi, qui unicuique puero, simul ac natus maximisque tribulium probatus esset, ab iisdem unum ex novem milibus fundum assignatum esse narrat.[26]) Quod autem quomodo factum sit vel fieri potuerit, quum Plutarchus taceat, alii alias explicandi vias ingressi sunt. Ex quibus Pastoretus plures agros, praeter novem illa milia qui primum distributi essent, statim ab initio reservatos fuisse aut postea accessisse

---

aetatem praeterisse dicamus, qua cuiuscunque linguae vocabula quae difficiliora essent ad explicandum, universa Romanorum et Graecorum vel etiam Indorum doctrina in subsidium vocata, interpretari homines studerent, res tamen diversissimas, quippe quas ex iisdem fontibus derivare volunt, misere miscere et confundere non desierunt. Non igitur mirum, quod hanc Lycurgi legem medii aevi instituto eidemque non multis abhinc annis huc illuc in vitam revocato simillimam esse dicerent, quo nobiles aliquot gentes opes suas ac splendorem cum unius ex ipsis maximo commodo, cum reliquorum omnium summo damno et detrimento, neque cum ulla rei publicae utilitate servare conabantur, feuda dico vel maioratus. Quid quod eo audaciae processerunt illi homines, ut ad memorabiles Hesiodi versus Opp. et Dies 376. 377. ed. Göttl. provocantes Lycurgum unicos filios ab unicis patribus procreari voluisse dicerent, quo cresceret res familiaris; eiusque rei testem adhibent Plutarchum in scholiis deperditis ad Hesiodum. Cf. Proclum ad Hesiod. p. 198. Gaisf. Cui pravae interpretationi Montesquievius Esprit des lois XXIII, 17 suam auctoritatem adiungit. Sed ne dicam quod passim ternum quaternumve filiorum patres apud Spartanos commemorantur, aliud est velle aliquid fieri et concupiscere, id quod poeta facit, aliud iubere. Neque quidquam impedit, quo minus Hesiodi πατρώιος οἶκος pro Lycurgi οἴκῳ habeatur, quem eundem constat κλῆρον appellari et τοῖς χρήμασι opponi. Sic Plut. Sol. 21 inter οἶκον et χρήματα distinguit, et Ages. 4 τὰ χρήματα Agidis Agesilao addicit, non τὸν οἶκον. Quam vero Plato in memorabili loco Legg. XI. p. 923. C. patri liberam dat facultatem unum aliquem ex filiis quem velit ita heredem scribendi, ut reliquos aut in alias gentes adoptionis iure migrare iubeat, aut idonea supellectile instructos in coloniam dimittat, ut patria pulsi novam patriam quaerant: ὃς ἂν διαθήκην γράφῃ τὰ αὑτοῦ διατιθέμενος, παίδων ὢν πατήρ, πρῶτον μὲν τῶν υἱέων κληρονόμιον ὃν ἂν ἀξιώσῃ γίγνεσθαι γραφέτω, τῶν δὲ ἄλλων παίδων ὃν ἂν μὲν ἑτέρῳ ποιεῖσθαι διδῷ δεχομένῳ, γραφέσθω τοῦτο αὐτό· ἐὰν δὲ περιγίγνηταί τις τῶν υἱέων αὐτῷ μὴ ἐπί τινι κλήρῳ πεποιημένος, ὃν κατὰ νόμον ἐλπὶς εἰς ἀποικίαν ἐκπεμφθήσεσθαι, τούτῳ τῶν ἄλλων χρημάτων ἐξέστω τῷ πατρὶ διδόναι ὅσα ἂν ἐθέλῃ, hoc tantum distat ab antiquitatis simplicitate, ut Plato quidem eiusmodi quid invenire posset, Lycurgus non posset. Qua Platonis auctoritate nobiles homines, qui eandem legem cuius supra mentio facta est suis gentibus scripserant, qua lege uni divitias et amplitudinem, reliquis omnibus mediocritatem vel tenuitatem legabant, haud scio usine sint an abusi.

[24]) Heracl. Pont. 2. πωλεῖν δὲ γῆν Λακεδαιμονίοις αἰσχρὸν νενόμισται, τῆς ἀρχαίας μοίρας ἀνανέμεσθαι οὐδὲν ἔξεστι.

[25]) Subtilius ea de re disputaverunt, ut veteres praetermittam, Barthélémy Voyage du jeune Anacharsis chap. 45. Manso Sparta T. I. P. 1. p. 121. Müller Dorier T. II. p. 193. Kortüm apud Schlosserum l. c. p. 162. Lachmann Spartan. Staatsverfassung p. 172. Schoemann Antiqu. iur. publ. p. 117. et qui omnibus palmam praeripuit C. F. Hermann Antiquitt. Lacônicae.

[26]) Plut. Lycurg. 16. τὸ δὲ γεννηθὲν οὐκ ἦν κύριος ὁ γεννήσας τρέφειν, ἀλλ' ἔφερε λαβὼν εἰς τόπον τινὰ λέσχην καλούμενον, ἐν ᾧ καθήμενοι τῶν φυλετῶν οἱ πρεσβύτατοι καταμαθόντες τὸ παιδάριον... τρέφειν ἐκέλευον, κλῆρον αὐτῷ τῶν ἐννακισχιλίων προσνείμαντες.

suspicatur, qui quum publici essent, omnibus quotquot nati essent pueris assignari possent.[27]) Aliam expediendae difficultatis viam Manso ingressus est, qui Plutarchi verba ita in nostrum sermonem convertit, ut tribules puerum sibi probatum dignum iudicasse dicat, ad quem unus ex his fundis aliquando deferretur, quae interpretatio vereor ne non multis probetur;[28]) alii denique omnem Plutarcheae narrationi fidem abrogarunt. Perperam illi quidem: nam diligentissimus antiquarum rerum perscrutator, qui tot saeculis post Lycurgum vixit, si aliquid aut minus recte vidit aut non satis accurate explicat, non ea de causa existimandus est nihil vidisse. Comprobatur praeterea et firmatur Plutarchi fides Polybii locupletissimi testis idem narrantis auctoritate.[29]) Neque eum quisquam prudentius ab omni credulitatis vel caecitatis opprobrio defendit, quam optimus quotquot nostra aetate vivunt harum rerum iudex et arbiter Hermannus, qui quum multis nominibus Plutarchum erravisse non neget, id tamen probe tenendum esse censet, non privato ullius viri arbitrio nec fortunae casibus relictum fuisse qui in vacuos fundos succederent, sed communi eorum, qui tum cognationis vinculo tum religionum sacrorumque commercio coniuncti essent, curae et custodiae permissum, ut pristina agrorum aequalitas, quam et ipsam a Lycurgo pro antiquissima quae Dorum erat simplicitate servatam magis quam recens inventam et effictam supra vidimus, quantum fieri posset servaretur.[30])

Quod quomodo factum sit quum Plutarchus literis custodire praetermiserit, divinatione assequi debemus, modo ne quae leviter nobis intuentibus ad aliquam veritatis speciem accedere videantur, ea statim ut vera et indubitata laudemus.[31])

Primum veteres omnes, Graeci pariter atque Romani, summo studio id agebant, ut quae optima civitatum et firmissima fundamenta ipsis esse viderentur, gentes ac familiae integrae et perpetuae servarentur.[32]) Quod studium a maioribus acceptum atque adeo innatum Spartani pie ac religiose

---

27) Pastoret Histoire de la législation T. V. p. 494.

28) Sparta T. I. P. 2. p. 134. *Die Stelle Plutarchs, die einzige die dafür zu sprechen scheint, ist nichts weniger als entscheidend und kann füglich übersetzt werden: Fanden die Aeltesten der Phyle, dass das Kind fest und stark war, so befahlen sie es zu erziehen und erklärten es der Theilnahme an den neuntausend Loosen werth.*

29) Polyb. VI, 45, 3. quem locum supra not. 8. descripsimus. De πολιτικῇ χώρᾳ si quis quaerat, is monendus est πολιτικὸν apud Polybium esse quod non aliorum quorumvis hominum, sed civium sit, veluti πολιτικοὶ ἱππεῖς equites ex civium numero conscripti, non mercede conducti. Sic πολιτικὴ χώρα ager est civibus assignatus, non perioecis: porro quidquid agrorum Lycurgus regibus praecipuum assignaverat, quod in multis perioecorum oppidis situm fuisse legimus (γῆν ἐξαίρετον Xenoph. de Re publ. Lac. 15, 3. Homericorum regum τέμενος Iliad. 6, 194. Od. 6, 293. cf. Virg. Aen. IX, 274), id opponitur huic πολιτικῇ χώρᾳ. Si qui erant Lacedaemone agri publici, ii aut sacris rite faciendis, aut festis diebus deorum obeundis, aut templis sartis tectis habendis, aut denique sacerdotum usui destinati erant. Cf. Heyne l. l. p. 13. Quamquam certa quaedam sacerdotia in certis quibusdam familiis a patribus ad filios hereditate transmissa eaque de causa certorum agrorum fructus ab antiquissima aetate ab iisdem gentibus perceptos esse videmus, tantum tamen aberat ut pro privatis haberentur, ut ipsorum deorum esse dicerentur. Nihil iuris in eos agros neque tribulibus neque gentilibus competebat.

30) Cf. C. F. Hermanni Antiqq. Lac. p. 189 sq.

31) Neque tamen hoc loco silentio praetermittere debemus Ch. G. Heynii sententiam, qui l. l. p. 15 totam unius patris progeniem communi habitatione et contubernio una vixisse suspicatur, quae sententia a fragmento Polybii recens ab A. Maio detecto lucem quandam accipit et probabilitatem. Cf. A. Maii scriptor. veter. nova collectio e codd. Vatic. Romae 1827 edita T. II. p. 384.

32) Sic apud Athenienses quoque gentium servandarum cura atque custodia curialibus mandata erat: erat spectatio quaedam et probatio filiorum recens natorum, cf. C. F. Hermann Lehrbuch der griech. Staatsalterth. §. 100, 2. 3.; erat summorum magistratuum videre, ne qua domus suo successore vacaret, cf. Isaeum de Apollod. hered. §. 30. νόμῳ γὰρ τῷ ἄρχοντι τῶν οἴκων ὅπως ἂν μὴ ἐξερημῶνται προστάττει τὴν ἐπιμέλειαν, et antiquam

retinuerunt, reliqui Graeci ita neglexerunt, ut quod ante improbum ac sceleratum haberetur, id novarum legum fide sanciendum esse putarent.[33]) Illam autem gentium et familiarum incolumitatem nihil magis servat ac firmat quam diuturna et filiis a patribus tradita eorundem semper agrorum totiusque rei familiaris possessio. Hanc possessionem utpote non singulis gentibus, sed universae civitati permissam tueri, patrimoniaque in agris distribuendis hereditatibusque regendis quantum fieri posset aequalia servare tribulium erat et gentilium.[34]) Quo consilio iis qui aut nullos heredes aut mulieres tantum reliquissent modo filios sufficiebant, modo dabant generos ex iis qui nullum fundum haberent, ea lege, ut qui defuncto propior videretur cognatione reliquos excluderet.[35]) Qua in re quum non multa legum auctoritate iussa et constituta, longe plurima diuturno usu et consuetudine ita firmata essent et sancita, ut multo plus aequitati hominum et probitati quam iudicum sententiis concessum fuisse recte dicamus, tamen si qua opus esset in istiusmodi controversiis disceptandis et dirimendis maiore auctoritate, ea penes reges erat. Neque tamen regum in his rebus plena erat et nullis legibus circumscripta potestas, ut quemlibet vellent, modo nullum patrimonium haberet, cuiuslibet heredem esse iuberent: sed si plures pari propinquitate cognati unam hereditatem capesserent, quam dividi leges vetarent, regum erat iudicare cui danda esset, ne quis praeter ius fasque praetermitteretur: eademque de causa adoptiones fieri non debebant nisi coram regibus.[36]) In universum autem, quod saepe monuimus neque tamen satis monere possumus, mores maiorum et consuetudines, multo illae antiquiores quam ulla lex a Lycurgo lata, domorum castitatem patrimoniorumque integritatem et servarunt et rexerunt. Quae cum ipsa gente natae quamdiu pie sancteque colebantur, nullis scriptis legibus, nullis arbitris, nullis iudicibus opus erat.[37]) Hanc igitur, quae ipsius aetate

---

legem quae est apud Harpocr. p. 222 ὅτι οἱ ποιητοὶ παῖδες ἐπανελθεῖν εἰς τὸν πατρῷον οἶκον οὐκ ἦσαν κύριοι, εἰ μὴ παῖδας γνησίους καταλίποιεν ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ ποιησαμένου: orbas autem non modo Athenis, sed per totam Graeciam ducere lex eum iubebat qui genere proximus esset, unde qui filii nati essent non in patris, sed in matris avique materni hereditatem succedebant. Müller Dorier II. p. 197. Hermann Staatsalterthümer §. 121, 4. 5. Ab Solone demum Atheniensibus bona sua cuivis aut dono dandi (κατὰ δόσιν) aut quemlibet heredem scribendi (διαθήκῃ) data libertas. Vid. qui subtiliter de his rebus omnibus disseruit Wachsmuth Hellen. Alterthumskunde T. II. P. 1. p. 213 sq.

[33]) Cf. Platneri Beiträge zur Kenntniss des attischen Rechts p. 101 sq. Meier De gentilitate Attica. Halis 1834.

[34]) Non multum ad nostram rem facit, tribubusne, quae est Mülleri sententia Dorier T. II. p. 194, an gentibus hanc auctoritatem fuisse dicamus.

[35]) Ita Demosthen. adv. Leochar. 43 iudicum esse dicit ἐκ τῶν κατὰ γένος ἐγγυτάτω ἐποιεῖν υἱὸν τῷ τετελευτηκότι, ὅπως ἂν ὁ οἶκος μὴ ἐξερημωθῇ. Res non semper liquida erat, adeoque difficilior esse potuit, quam primo adspectu videtur: veluti si, qui defuncto proximus esset, unum tantum filium haberet, quem orbam ducere vel in bona defuncti succedere oporteret. Tum bina patrimonia iungebantur, quod ne fieret nulla lex prohibebat. Eiusmodi coniunctio tribulium vel gentilium erat videre ne diuturna esset, sed ut prima data occasione, veluti si huic uni patri duo filii nati essent, solveretur.

[36]) De iure igitur statuebant reges, sive plures petebant sive singuli. Ita intelligendus Herodotus VI, 57. δικάζειν δὲ μούνους τοὺς βασιλῆας τοσάδε μοῦνα, πατρούχου τε παρθένου πέρι, ἐς τὸν ἱκνέεται ἔχειν, ἢν μὴ περ ὁ πατὴρ ἐγγυήσῃ — καὶ ἤν τις θετὸν παῖδα ποιέεσθαι ἐθέλῃ, βασιλήων ἐναντίον ποιέεσθαι, quod apud Athenienses διαδικασίᾳ fiebat. Cf. Hermann Staatsalterth. §. 121, 7. Heffter Athen. Gerichtsverf. p. 272 sq. Meier et Schoemann Att. Prozess. p. 174. Id quoque postea novatum esse Aristot. Polit. II, 6, 11 auctor est: νῦν δ' ἔξεστι δοῦναί τε τὴν ἐπίκληρον ὅτῳ ἂν βούληται· κἂν ἀποθάνῃ μὴ διαθέμενος, ὃν ἂν καταλίπῃ κληρονόμον, οὗτος ᾧ ἂν θέλῃ δίδωσιν.

[37]) Nam multo ante quam Lycurgus leges suas literis consignavit sanctissima erat quum apud omnes Graecos tum inprimis apud Dores legum non scriptarum et institutorum auctoritas. Hae sunt ἄγραφοι leges, ὑψίποδες,

fuisse facile creditur, morum simplicitatem Lycurgus speravit legum a se latarum firmissimum futurum esse praesidium. Quamdiu enim cives veteres suas sive omnibus Doribus communes sive Spartanis peculiares virtutes, sobrietatem, temperantiam, frugalitatem, laborum patientiam servarent, seque non sibi, sed patriae vivere meminissent, de nimio futurorum civium incremento, quos egestati relinquerent, vix erat quod timerent. Accedit quod qui omnes cives suos summa severitate matrimonia inire cogebant coelibesque omnes turpissima ignominia afficiebant, de nimio liberorum proventu neque sibi neque rei publicae quidquam timere debebant.

At vero non perpetua est vel antiquissimorum morum et institutorum sanctitas, non semper firma stat et inviolata domorum castitas, languescere incipiunt et marcescere omnia humana. Quotus igitur quisque mirabitur Lacedaemoniorum quoque frugalitatem et parsimoniam in libidinem et avaritiam, fortitudinem in ignaviam, duram denique et asperam illam simplicitatem in luxuriem vanamque divitiarum ostentationem conversam esse? Cuius calamitatis non subito in civitatem irrumpentis, at certo quamvis lento pede incedentis prima vestigia in nobilissima Epitadei lege invenisse sibi visi sunt, qui in interiorem rerum naturam inquirere parvi habentes rerum gestarum memoriam, qualem acceperunt, talem posteris tradere solent. Nam quisquis ille fuit Epitadeus, non is fuit, ut sua unius auctoritate firmissimas leges sanctissimaque instituta everteret. Is quoque quem invenerat rerum publicarum et privatarum statum non creasse, sed legem suam corruptae iam et depravatae civitati accommodasse dicendus est.[38]) Non igitur in lege Epitadei, ex qua ut e perenni fonte veteres non minus quam recentiores omnia malorum genera derivabant,[39]) neque etiam quod alii somniarunt in

ut ait Soph. Oed. R. 859. οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, ὧν Ὄλυμπος πατὴρ μόνος, οὐδέ νιν θνατὰ φύσις ἀνέρων ἔτικτεν, οὐδὲ μάν ποτε λάθα κατακοιμάσει· μέγας ἐν τούτοις θεός, οὐδὲ γηράσκει. Plato leges non scriptas aeque pie atque scriptas colendas esse docet. Vituperat enim de Re publ. VIII. p. 563. D. qui non humanas verum etiam divinas leges negligant, οὐδὲ τῶν νόμων φροντίζουσι γεγραμμένων ἢ ἀγράφων, ἵνα δὴ μηδαμῇ μηδεὶς αὐτοῖς ᾖ δεσπότης, qui locus non satis accurate expressus est a Cicerone de Re publ. I, 44. Cf. ea de re Dion. Chrysost. or. LXXVI. p. 648. A. et Dissenii Opuscula Götting. 1839. p. 165. Quid quod sapientissimi quique veterum legum latorum ea demum legibus sancienda putabant, quae praesenti hominum prudentiae non possent tuto committi. Quare Plato de Re publ. IV. p. 425. D. interrogantibus de rebus vulgaribus, ut de vectigalibus vel imponendis vel exigendis, de foris, de portubus aliisve rebus satiusne sit quidquam statuere an non statuere respondet: ἀλλ' οὐκ ἄξιον, inquit, ἀνδράσι καλοῖς κἀγαθοῖς ἐπιτάττειν· τὰ πολλὰ γὰρ αὐτῶν, ὅσα δεῖ νομοθετήσασθαι, ῥᾳδίως που εὑρήσουσι, ad quam sententiam illud Lycurgi responsum confictum est, quod apud Plutarchum legitur in Apophthegm. Lacon. T. VIII. p. 222. ed. Hutt. ἐρωτηθεὶς δὲ διά τί οὐκ ἐχρήσατο νόμοις ἐγγράφοις· ὅτι, ἔφη, οἱ πεπαιδευμένοι καὶ ἀχθέντες τῇ προσηκούσῃ ἀγωγῇ τὸ τοῦ καιροῦ χρήσιμον δοκιμάζουσι. Quem prudentissimum vitarum scriptorem etsi facile concedimus philosopho potius quam historico ingenio Spartanorum instituta descripsisse, propterea non tantum vel C. F. Hermanni in Antiquitt. Laconic. L. IV. p. 171 doctrinae largimur, ut veram Lycurgeae aetatis indolem ei prorsus incognitam fuisse dicamus. De cuius fide potius audiendus est vir immortalis memoriae A. H. L. Heerenius De fontibus et auctoritate vitarum Plutarchi p. 19. 26.

[38]) Quod et in sua re publica fieri posse intellexit Plato de Re publ. VIII. p. 550. D. πρῶτον μὲν γὰρ δαπάνας αὐτοῖς ἐξευρίσκουσι καὶ τοὺς νόμους ἐπὶ τοῦτο παράγουσιν ἀπειθοῦντες αὐτοί τε καὶ γυναῖκες αὐτῶν.

[39]) Verba legis Epitadeae apud Plutarchum in vita Agidis 5. haec sunt: ἐξεῖναι τὸν οἶκον αὐτοῦ καὶ τὸν κλῆρον ᾧ τις ἐθέλοι καὶ ζῶντα δοῦναι καὶ καταλιπεῖν διατιθέμενον. In qua suadenda non tam unius magistratus iracundiam vel violentiam quam omnium civium morum corruptelam valuisse vidit Pastoretus Histoire de la législ. T. V. p. 498: *la colère d'un magistrat n'eût pas suffi pour obtenir du sénat et de l'assemblée générale l'assentiment nécessaire pour changer subitement une institution qui remontait à Lycurgue, si l'état moral où se trouvaient les Spartiates ne l'eût favorisé.* Accedit quod ne de aetate quidem qua Epitadeus vixerit legemque suam suaserit satis omnibus constet: quam O. Müllerus Dorier T. II. p. 194 post Lysandrum, Manso Sparta T. III. P. 1. p. 263. post Agesilaum latam esse censet. Sed iam Archidamus rex

divitiarum a Lysandro Spartam advectarum affluentia, sed in turbata agrorum aequalitate initia et causae calamitatis paullatim in Lacedaemoniorum rem publicam irrepentis quaerendae sunt: de ea igitur reliquum est ut quam fieri possit accuratissime disseramus.

Una neque ea levissima turbatae aequalitatis causa a nova ab rege Polydoro post primum bellum Messenium inchoata agrorum distributione repetenda est. Ut enim facile concedam Polydorum regem numero fundorum aucto ac fere duplicato, quum civium quoque numerum eadem ratione crevisse sciamus, non recte dici inaequalitatis in Lycurgi rem publicam introducendae suasorem fuisse et auctorem, quippe qui has suas sortes et aequales inter se et antiquis illis Lycurgeis pares esse voluerit: tamen quae in quinque milibus agrorum servari potuerat singularum partium tum aequalitas, tum earundem in singulis familiis possessionis diuturnitas ac perpetuitas, ea duplicato numero aegre retinebatur.[40]) Multo enim facilius aucto fundorum numero, imminuta vero de qua infra dicemus hominum multitudine fieri potuit, ut singulae familiae binos agros acciperent, quibus coniunctis aliae prae aliis ditescerent.[41]) Ut nihil dicam, quod multo latior fortunae vicissitudinibus patebat campus sive hominum multitudine praeter modum imminuta, sive imperii finibus contractis vel agrorum spatiis ad minorem modum redactis, sive agrorum proventu mala tempestate vel alia calmitate amisso, quam in modico qui ante Polydorum erat κλήρων numero.

Quamquam ex hac Polydori innovatione multo plura mala exsistere potuisse, quam quae vere nata sunt, quis neget? Quae enim ea aetate facta esse traditur rerum conversio, ea in tanta Lacedaemoniorum simplicitate et innocentia atque pietate erga omnia quaecunque a patribus acceperant neque magna esse poterat neque diuturna. Mansit post Polydorum integer non auctus nec imminutus civium numerus, quem nusquam novis milibus, quae ad illum regem tamquam auctorem suum referuntur, maiorem fuisse accepimus, stetit cum antiqua patriae caritate et bellica virtute firma usque ad bella Persarum Lycurgi disciplina, fuit denique eadem quae antea fuerat agrorum aequalitas.[42])

---

divitem uxorem inopi praetulit, Athen. XIII, 20 in., et filiam Lysandri sponsus propter paupertatem repudiavit. Aelian. Var. Hist. VI, 4.

[40]) Multum abest ut distributionis cuius Polydorus auctor fuit eandem rationem esse dicamus atque illius quae ab Agide et Cleomene regibus sub finem primi belli Punici facta est. Hi enim ut malis mederentur quae a paucitate civium rei publicae imminebant, perioecos in civitatem recipiebant iisque parem cum civibus agrorum modum assignabant. Polydori autem aetate ita civium copiis res publica florebat, ut Parthenios ipsorum sanguine natos, quippe quos Aristot. Polit. V, 6, 1 ἐκ τῶν ὁμοίων fuisse dicit, in coloniam mitterent. Tum enim si quo alio tempore erant decem Spartanorum milia, quibus Polydorus fundorum numerum aequare voluit.

[41]) Lacedaemoniorum enim re publica decrescente et ad interitum vergente si plura patrimonia singulorum possessorum esse coeperunt, id non semper licentia quadam nimiaque in heredibus scribendis libertate factum esse videtur, sed hominum paucitate, quum non tam patrimonia possessoribus quam possessores patrimoniis quaerendi essent. Multae Lycurgi leges maiora eum pericula civitati a paucitate civium quam a nimia multitudine timuisse docent. Nam ut de ea lege taceam, quam Xenoph. de Re publ. Lac. 1, 7 commemorat, quae civitatem non tam progenie quam virtute et liberali educatione aestimari vellet, spuriorumque vel Helotarum in civitatem recipiendorum liberam potestatem daret, qui μόθακες appellabantur: Lycurgus multo magis timebat, ne cives patriae deessent, quam ne quod rei publicae detrimentum a nimio civium numero immineret. Felicissima igitur Lycurgeae rei publicae condicio prae nostris quotquot sunt civitatibus, quae hominum copias quo terrarum deducant nesciunt.

[42]) Spartanorum qui ad bellum cum Mardonio gerendum profecti erant singulos septenos secum duxisse Helotas Herodotus IX, 28 auctor est: quos quum una cum agris a patribus hereditate accepisse constet, si qua iam tum erat possessionum inaequalitas, ea nisi levis et perexigua esse non potuit. Atque ea calamitas, qua per Messeniorum defectionem sub alterius belli Messenii initia Lacedaemonii laborasse narrantur, ea non ab in-

Quamdiu igitur cum crescente numero civium imperii quoque fines propagabantur aut servata imperii incolumitate civium numerus non admodum fluctuabat, vetere illo libramento rei publicae nondum turbato, procul erat illa ruina, qua paullatim tota civitas ad interitum trahebatur: iam vero subito media inter Persicum et Peloponnesiacum bellum aetate mutata est civium multitudo, quum pro novem decemve milibus vix quinque vel sex fuisse dicantur.[43]) Coniuncta fuit haec civium deminutio cum alia insigni clade, quae et ipsa huius iacturae causa fuit, qua et fundorum et redituum inde percipiendorum aequalitas ita mixta est et confusa, ut iam nova vitiorum cohors Lacedaemoniis adhuc incognita, invidiam dico et avaritiam cum reliqua malarum libidinum turba, in civitatem irrueret. Nam cui inauditus est memorabilis terrae motus, quo quum totam Laconicam vastatam tum inprimis Spartam urbem dirutam funditusque eversam esse accepimus.[44]) Eodem tempore tertium bellum Messenium exarsit, quod et ipsum ex hac fatali Lacedaemoniorum clade natum esse constat, quodque, quidquid reliquum erat ex universa tum hominum tum rerum omnium iactura, una strage oppressit atque exstinxit. Ex illo enim tempore partim ii deerant qui et arma ferre et agros colere possent, partim eorum maxima iactura facta est ex quibus nova exspectanda essent civium incrementa iuventutisque progenies. Prole autem deficiente tunc maxime plures domus hereditate iungi coeptae, quae quominus rursus dirimerentur, civium inopia non minus obstabat quam hominum avaritia et prava habendi libido. Haec autem vix dici potest quam celeriter Lacedaemoniorum mores contaminarit et priscam simplicitatem ac frugalitatem corruperit. Nolebant qui subito divites facti erant pluribus liberis tollendis gentium suarum splendorem obscurare, contra qui in paupertatem depressi erant liberos ad eam quam ipsi aegre ferrent inopiam educare aspernabantur,[45]) qui denique in modicis fundis a patribus acceptis quieti viverent aut nulli aut perpauci tantum invenie-

---

aequalitate civium orta erat, sed ex subita inopia profecta, qua parte aliqua redituum ex Messeniorum agris percipiendorum praeter opinionem amissa premebantur. Accessit fames et ex ea orta pestilentia. Quam seditionem inde natam esse Pausan. IV, 18, 2 dicit, ea quum Tyrtaei poetae auctoritate victoriaque non multo post reportata sedaretur, vix magna esse potuit. Tota denique Messenia iterum sub Lacedaemoniorum potestatem redacta, nova agrorum distributio facta nulla esse videtur, sed servato numero singula patrimonia aucta et amplificata. Renovata tum et in tanto honore habita Polydori memoria, ut quae publica auctoritate sancienda essent illius regis imagine obsignarentur. Pausan. III, 11, 8.

[43]) Quae prima decrementi vestigia O. Müllerus Dorier II. p. 195 in eo detexisse sibi visus est, quod Herodotus VII, 234 non novem, sed octo milia civium fuisse tradit adeoque in proelio apud Plataeas commisso quinque tantum milia dimicasse feruntur (Herod. VII, 28), vereor ne subtilius disputasse quam verius vidisse videatur vir doctissimus, nam aliqua tamen pars agrorum semper aut puberum aut orbarum esse debebat: et in pugna Plataeensi non omnes Spartani, sed iuniores tantum (ἐκ Λακεδαίμονος ἐξεληλύθει ἡ νεότης Herod. IX, 12), quorum aetas ad arma ferenda idonea esset, in acie steterunt. Multo rectius idem in pugna quae medio bello Peloponnesiaco apud Mantineam facta est, ad quam universa Lacedaemoniorum natio tum iuniorum tum seniorum profecta erat, vidit totum exercitum vix sex milium fuisse. Müller l. l. II. p. 233.

[44]) Etiamsi servi cuiusdam regis Archidami prudentia dicam an calliditate firmae aetatis viros longe plurimos adeoque ipsum civitatis robur servatos esse fama est, universum tamen prope puerorum et adolescentulorum florem, laetissimam patriae spem, porticus ruina oppressum tristissima fortuna absumpsit. Perioecorum autem hoc terrae hiatu haustorum viginti milia amplius fuisse Diod. Sic. XI, 63 tradit. Aliquanto post in Leutrica pugna magnam cladem accepit res publica, quippe in qua quot Spartani superstites, tot interfecti erant, si quidem recte intelligo verba Xenophontis in Ages. 2, 24.

[45]) Longe aliae Atheniensium, apud quos plurimae viae vitae sustendandae patebant, res et rationes erant. Athenis enim in summa rei familiaris inaequalitate, quum alii navigarent, alii mercaturam facerent, alii alia negotia gererent, qui nihil habebant eo plura sperabant: Lacedaemoniorum omnis fortuna in agris erat agrorumque proventu.

bantur.[46]) Accessit quod oblata felicissima libertatis recuperandae opportunitate Helotae fuga salutem cum libertate petebant, qui quum soli Spartanorum agros coluissent, inculti hi iacebant et deserti.[47]) Qui autem domestica fortuna non aeque feliciter constituti erant atque qui iam principes civitatis esse coeperunt, ii aut ipsi agros colere et servilia opera facere debebant, aut omnem victus comparandi vitaeque tolerandae spem abiicere.[48]) Agros enim, quibus arandis pares non essent, pretio divendere non magis licebat per leges, quam mancipia, quibus aegre carerent, ex alienis terris importare.[49]) Itaque quum neque otio honesto fruerentur neque vitam a miseris victus comparandi negotiis liberam degerent, factum est ut neque ipsi ad syssitia convenirent, quum rure viverent, neque liberos suos urbanae disciplinae tradere iisque artibus instituere et quasi armare possent, quibus pueri ad illam qualemcunque Spartanorum humanitatem erudiri solerent.[50]) Ex antiquis civibus, summa illis et virtute et fortitudine et continentia et laborum patientia insignibus, qui hanc quasi capitis deminutionem passi essent, facti sunt quos ὑπομείονας, inferiores quasi quosdam homines, haec quidem aetas appellabat, qui quum ab antiqua Lycurgi disciplina exclusi essent, optimo quoque iure privati erant. Contra horum adversarii, qui soli in civitate regnabant, quum ephoris mercede ad suas partes traductis nulli nisi ipsi in senatum legerentur solique parvam illam quae dicebatur concionem complerent, anxie cavebant, ne illae leges pro temporum necessitate mutarentur.[51]) Itaque

---

[46]) Florente re publica quot Spartani, tot perioeci stipendia faciebant. Iam vero res eo pervenerat, ut Spartani, ne nimia civium iactura fieret, solos interdum perioecos vel libertinos ad proelia mitterent aut etiam, id quod patrum memoria inauditum erat, mercenariorum opera uterentur. Sic Aristoteles Polit. II, 6, 11 pro mille et quingentis equitibus et triginta milibus peditum, quos olim terra Laconica aluisset, vix mille esse dicit. Tanta ait virorum inopia rem publicam laborare, ut si omnium agrorum quinque partes efficerentur, duae partes mulierum futurae essent. Atque Agesilai aetate Cinadonem cum rege et ephoris et senatoribus vix quadraginta Spartanos deambulantes in foro et a miseris quotidianae vitae negotiis vacuos rei publicae operam navantes numerasse Xenoph. Hellen. III, 3, 5 fidem facit, quem numerum Valckenaerius ad Herod. p. 463 accurate explicat.

[47]) Hanc Helotarum fugam quum alii tum inprimis Thucyd. IV, 41. V, 14 Spartanis multorum malorum causam fuisse dicit.

[48]) Contra locupletiorum praedia iam ad magna latifundia in ipsa urbis propinquitate sita ex modicis quos Lycurgus priscis dominis suis descripserat agris excreverant: per ea cum maxima tenuiorum invidia pauci cum canibus feras venabantur aut insidiabantur avibus. Vetus enim illa a Lycurgo laudata et maxime commendata ferarum venatio (αἱ διατριβαὶ περὶ θήρας Plut. Lyc. 24) non amplius erat saluberrima et ad corpora firmanda ac corroboranda utilissima virium exercitatio, sed quae nostra fere aetate facta est, inutilis delectatio.

[49]) Pauci erant, si qui erant, Lacedaemone servi peregrini. cf. O. Müller l. l. p. 39, quorum quidem ex numero Alcman, lyricae poesis pater, fuisse fertur.

[50]) Atque hoc potissimum nomine Sosibius apud Athen. XV, 15. p. 674. b. τοὺς ἐκ τῆς ἀγωγῆς παῖδας, quos supra commemoravimus, qui Lycurgea disciplina instituti essent, opponit τοῖς ἀπὸ τῆς χώρας. Multo maiorem Plutarchus quoque in moderandis civium studiis auctoritatem educationi tribuebat, quae puerorum animos vera patriae caritate imbueret, quam scriptis legibus vel iuris iurandi religione firmatis. Cf. Plut. Comp. Lycurgi c. Numa 4. μικρὸς γὰρ ἂν ἦν ὁ τῶν ὅρκων φόβος εἰ μὴ διὰ τῆς παιδείας καὶ τῆς ἀγωγῆς οἷον ἀνέδευσε τοῖς ἤθεσι τῶν παίδων τοὺς νόμους καὶ συνῴκειωσε τῇ τροφῇ τὸν ζῆλον τῆς πολιτείας.

[51]) Parva concio, ἡ μικρὰ ἐκκλησία, quae uno tantum loco apud Xenoph. Hellen. III, 3, 8 commemoratur, ex solis ὁμοίοις constitisse videtur. Cf. Hermann griech. Staatsalterth. §. 24, 7. eiusdem Antiqu. Lac. p. 144. Müller Dorier II. p. 87. Wachsmuthius Hell. Alterthumsk. T. I. P. 2. p. 212 ephoros addit et senes, fortasse ad eam sententiam adductus loco Demosth. adv. Leptin. §. 107. ἐπειδάν τις εἰς τὴν καλουμένην γερουσίαν ἐγκριθῇ παρασχὼν ἑαυτὸν οἷον χρή, δεσπότης ἐστὶ τῶν πολλῶν· ἐκεῖ μὲν γάρ ἐστι τῆς ἀρετῆς ἆθλον τῆς πολιτείας κυρίῳ γενέσθαι μετὰ τῶν ὁμοίων.

illi optimi erant et acerrimi Lycurgeae aequalitatis ab ipsis quantum fieri poterat maxime concussae et prope sublatae suasores et laudatores. Quam quum integram et incolumem omnibus suis se viribus servare simularent, non Lycurgi instituta tuebantur, sed sua defendebant privilegia et maiorem fortitudinem non minus quam durum vitae genus summis laudibus exornantes ipsi in otio et silentio laute splendideque vivebant, ii qui nunc ὅμοιοι appellabantur.[52]) Qui quo magis privatis suis utilitatibus consultum videbant, si Lycurgi leges, antiqui iuris quam antiquae condicionis tenaciores, religiose servarent, eo magis strictam quae dicitur legum interpretationem probantes in verbis haerebant, veram earum indolem ac rationem parvi faciebant. Tum vero nata est ex veteris masculae virtutis negligentia pessima morum corruptela, quae quum diu per viscera civitatis serpsisset, dici vix potest quanta vi et celeritate aegrotantia rei publicae membra corripuerit omnemque pristini roboris recuperandi spem sustulerit. Multi enim ex feliciore condicione ad paupertatem depressi dum sua negotia gerebant, remque familiarem procurabant, fugiebant ludos, detrectabant arma turpique squalore corpora torpescere sinebant. Vivebant neque bello neque paci idonei, et neque privatim neque publice, neque sibi neque aliis utiles ita vitae curriculum conficiebant, ut veluti naves nullum sui vestigium relinquerent: quo factum est ut ad inopiam turpitudo, ad turpitudinem ignominia accederet. Quodsi in reliqua Graecia firma tum et integra stetisset patrum virtus, minus fortasse perniciosa fuisset vis malorum in rem publicam Lacedaemoniorum velut agmine facto irruentium: sed ubi totum corpus languescit, vix unum vel alterum membrum sanum esse potest et integrum. Tot autem et tanta omnium illecebrarum genera ea aetate in genus humanum invaserunt, quibus procul a se habendis vix veteres illi Spartani, Lycurgi aequales, nedum degeneres ipsorum filii pares fuissent. De quibus quum multi scripserint atque hoc loco accuratius disserere et longum sit et a consilio nostro alienum, pauca tantum proferre satis habemus.

Nam quum bellica Lacedaemoniorum virtus et fortitudo per totum orbem terrarum celebrarentur multaeque gentes essent ac nationes quae peregrinorum militum opera in suis bellis uti quam ipsi arma ferre militiaeque labores tolerare mallent, factum est ignavia horum hominum ac desidia, ut omnia fere omnium populorum bella Lacedaemoniorum opera gererentur. Neque enim Cyrus solus, Artaxerxis frater, vel aliquanto post Carthaginiensium res publica exercitum, cuius dux Xanthippus erat, quum ex universa Graecia tum inprimis ex Laconica collegerat, verum etiam Graeci ipsi ex

---

[52]) Dicti sunt hoc nomine, non quod ab antiquissimis temporibus discrimen aliquod civium fuerit, quod nullum fuisse scimus — omnes enim Spartani, si a regibus discesseris, dignitate pares, neque Spartae neque in caeteris civitatibus Doriensibus ulli nobiles praeter reges: nam Bacchiadae apud Corinthios, si nobilitate prae caeteris florebant, et ipsi a regia Heraclidarum stirpe descendunt, Aegidae vero, Therae posteri, non ex eadem qua Spartani stirpe, sed ex Boeotia oriundi erant, Müller Orchom. p. 329: quamquam sunt qui omnia alia sentiant et nobiliores quosdam etiam apud Spartanos fuisse statuant, inter quos praeter Kortümium et Lachmannum inprimis Schlosserus nominandus est in Universalhistor. Uebersicht der Geschichte der alten Welt T. I. P. 1. 325—, sed quum ipsarum Lycurgearum legum contemptu nonnulli quasi capitis deminuti essent, reliqui qui optimo iure fruerentur ea ipsa de causa non praecipuo aliquo, sed eo quod antiquitus omnium fuerat pariu m nomine appellati sunt. Eorum dignitas hereditatis quasi quodam iure a patribus ad filios transmissa, quippe quae et a rei familiaris amplitudine et a puerilis institutionis liberalitate, ab honesto denique quo nulli nisi locupletes fruebantur otio penderet. Quamdiu enim omnium civium possessiones pares erant, omnes eodem iure vivebant: verum ex quo tempore alii ditiores, alii pauperiores erant, illi tantum rem publicam capessebant civitatisque negotia gerebant. Iidem ἔκλητοι appellantur a Xenophonte Hellen. III, 3, 8, quos eosdem Persarum ὁμοτίμοις simillimos describit Cyrop. II, 1, 8. VII, 5, 71. I, 5, 5. Cf. C. F. Hermanni Disputatio de condicione eorum, qui Homoei apud Lacedaemonios appellati sunt in Antiqu. Lac. Lib. IV. p. 152.

eo maxime tempore, quo Peloponnesiacum bellum geri coeptum erat, multo magis autem in illo bello, quod a Corinthi obsidione nomen habet, Graecos homines pecunia data vel promissa conducebant. Eo iam res pervenerat, ut sine eiusmodi hominum sanguinem suum quasi pretio vendentium opera vix ullum bellum fieri posse videretur, adeoque Lacedaemonii ipsi peregrinorum hominum auxilia non repudiarent.[53]) Quae consuetudo in dies aucta et confirmata haud scio utrum perniciosior fuerit tuendae antiquae morum disciplinae an conservandae qua antea res publica abundabat civium multitudini. Iam vero de illa, quam peregrini homines qui in Peloponneso militabant in Lycurgi civitatem inferebant labem morumque corruptelam, non est quod pluribus verbis dicam: multo maior multoque gravior calamitas ab iis imminebat, qui operam suam externis regibus vel nationibus praestabant. Qua in re militesne illi fuerint an duces vel imperatores, quales Clearchum, Xenophontem, Xanthippum adeoque ipsum Agesilaum fuisse legimus, non multum interest.[54]) Sive enim illi aliarum terrarum iucunditatibus capti, a Lycurgeae disciplinae severitate liberi ac soluti iuventutis suae sedes repetere nolebant, fortissimorum virorum opera patria privata erat: sive stipendio vel praeda locupletati redibant, redibant iidem barbarorum morum contagione inquinati et avaritia turpissimaque sordidi quaestus faciendi libidine contaminati. Quo plures autem hoc vitae genus amplectebantur et quo in maiore honore quocunque veniebant ut optimi armorum tractandorum magistri, bellandi artis certe peritissimi habebantur, eo plures patria relicta in peregrinas terras migrabant.

Quae omnia si recte reputaverimus, Spartanorum rem publicam, a Lycurgo sapientissime institutam summaque arte temperatam, decursu temporis misere corruptam et depravatam videmus. Firmissimo enim civitatis aequalitatisque omnium praesidio, quod in pari agrorum distributione erat universaeque rei familiarissimilitudine, sublato priscorumque morum castitate et sanctitate violata Lycurgus, qui non alia iura divitioribus, alia pauperioribus, sed omnibus eadem scripserat, idem tenuioribus optima iura, nulla sua culpa, detraxit. Re publica enim ad interitum vergente eo res pervenerat, ut alii divitiis affluentes vel equorum nutricatione et apparatu magnificentiae laudem quaererent adeoque equos Olympiam ad ludos mitterent, quamquam nullo tempore res equestris in magno honore apud Lacedaemonios fuerat, alii iique ex Herculis genere nati, quum neque agros haberent quos ararent, neque servos quibus imperarent, sordidam operam facerent. Quae omnia quum ita sint, quis demum ita accidisse mirabitur, ut oppressae ac fere sepultae patriae post septingentos annos non amplius septingenti cives, in iisque vix centum superstites essent qui fundos haberent?[55])

---

[53]) Maiorum memoria qui ex societate foedere facta aliis auxilio veniebant ἐπίκουροι dicebantur, Herod. V, 63 οἱ Πεισιστρατίδαι - ἐπεκαλέοντο ἐκ Θεσσαλίης ἐπικουρίην· ἐπεποίητο γάρ σφι συμμαχίη πρὸς αὐτούς: qui stipendium accipiebant ἐπίκουροι μισθωτοὶ Herod. III, 45 appellabantur, ipsi ἐπίκουροι quam μισθωτοὶ dici malebant. Cf. Wachsmuth Hellen, Alterthumsk. T. I. P. 2. p. 309 sq

[54]) Illi non omnes pauperes erant vel obcuro loco nati, sed ex ipsa Spartanorum disciplina profecti. Ea enim laude florebat Xanthippus, Romanorum victor. Vide Polyb. I, 32 ἐν οἷς καὶ Ξάνθιππόν τινα Λακεδαιμόνιον, ἄνδρα τῆς Λακωνικῆς ἀγωγῆς μετεσχηκότα καὶ τριβὴν ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἔχοντα σύμμετρον.

[55]) Plut. Agid. 5. πενία τὴν πόλιν κατέσχεν ἀνελευθερίαν καὶ τῶν καλῶν ἀσχολίαν ἐπιφέρουσα μετὰ φθόνου καὶ δυςμενείας πρὸς τοὺς ἔχοντας. ἀπελείφθησαν οὖν ἑπτακοσίων οὐ πλείονες Σπαρτιᾶται, καὶ τούτων ἴσως ἑκατὸν ἦσαν οἱ γῆν κεκτημένοι καὶ κλῆρον, ὁ δ' ἄλλος ὄχλος ἄπορος καὶ ἄτιμος ἐν τῇ πόλει παρεκάθητο.

eo maxime tempore, quo Peloponnesiacum bellum gravi coeptum erat, multo magis autem in illo bello, quod a Corinthi obsidione nomen habet, Graecos homines pecunia data vel promissa conducebant. Ro iam res perveneret, ut sine clamoribus hominum sanguinem suum quasi pretio venumdarent opera vix ullum bellum fieri posse videretur, adeoque accedemonii ipsi peregrinorum hominum auxilia non repudiarent.*) Quae consequendo in dies magis et confirmata haud sane utrum periculosior fieret tuendae antiquae morum disciplinae an conservandae qua maxime res publica abundabat civium multitudini. Iam vero de illis, quae peregrini homines qui in Peloponneso militabant in Lycurgi civitatem inferebant, bonum moriumque corruptelam, non est quod plurimis verbis dicam: multo maior multoque gravior calamitas ab iis imminebat, qui operam suam exercitus regibus vel nationibus praestabant. Quae in re multitudo illi fuerint an duces vel praepositores, quales Clearchum, Xenophontem, Xantippum aliosque ipsum Agesilaum fuisse legimus, non multum interest.*) Sive enim illi alienam terrarum incunabulis capti, a Lycurgea disciplina severitate liberi ac solutiores iuventutis suae regibus reportare notabant, fortitudinem virtutemque operis pretia praeclara vitae militiae vel praeda longeplurati vendibant, reliquos item barbarorum morum contagione inquinati et auribus turpissimaque sordidi quaestus incendi illi illine continuabant. Quo plures autem hoc vitae genus amplectebantur et eo in maiore honore quotidiane vendebant ut optimi armorum tractandorum magistri, bellandi arte reste perfitissimi subsidentes, eo plures patria relicta in peregrinas terras migrabant.

Quae omnia si recte reputaverimus, Spartanorum rem publicam, a Lycurgo sapientissime institutam summaque ars temperantiae, decorum temporis mores corruptam et deprayatam videamus. Primissimo enim civitatis aequalitatisque omnium praesidio, quod in pari eorum distributione erat universaque rei familiaris similitudine, publicis praescriptumque morum mediante et sanctitate violata Lycurgus, qui non alia iura divitioribus, alia pauperioribus, sed omnibus eadem scripserat, idem tenuioribus optima iura, nulla sua culpa, deteriorat. Ne publica enim ad iusitatum vergerate eo res perveneret, ut alii divitiis affluerent vel equorum nutricationem et opparatu magnificentiae laudem quaererent adeoque equos Olympium ad ludos mittierent, quamquam nullo tempore res equestris in magno honore apud Lacedaemonios fuerat, alii fugae ex Herculis genere nati, quum neque agros haberent quos ararent, neque servos quibus imperarent, sordidam operam fecerent. Quae omnia quum ita sint, quis demum ita mediocris mirabitur, ut oppressae ac fere sepultae patriae post septingentos annos non amplius septingenti cives, in hoque vix centum superstites essent qui fundos haberent?*)

*) Plutarchus memoria qui ex scriptis Isocratis alia multa sumpsisse videtur, Paneg. V, 69 et Demosthenis - Aeschinem de Corona, crimiter invectus jay qui armorum vi, arcuitis qui adjuvandum scripsisse, Philippum inducere nolunt Plut. III. 45 appellabantur, vel exemplo quare pecunia dici mutuerant.

Cf. Wachsmuth Hellen. Alterthumsk. T. I. P. 2. p. 208 sq.

*) Illi non omnes pugnare erant vel obiere hoc modo, sed ex iuss Spartanorum disciplina profecti, ita enim Iuvenis duxerat Xantippus, Hamamorum signifer. Vide Polyb. I, 32 et cf. ann Emendare ipsa Xenophontem, dolos ex Anaximenis, quorum pretexxerunt vel rapiter de rebus nolunt, Lycurgi opperter.

*) Plut. Agid. 5, ubi non sexaginta duodecim sed sex tantum integrum intercessere ipsa optima sed dirumpunt, ager vero (quare, analogiam ope intercedunt et nisi, Lacrymam, ant rotunda fere [illegible] ut ipse sanguinem sed aliquot, a d' oblog dolore sempre sed arcere et ex nuda magnanimitatem.